

Q. D. B. V.

Ut

In anniversaria memoria

DN. MELCHIORIS CASPARI WINCKLERI,

ad diem 28. Maji M DC XCIII.

horâ post Octavam matutina

laudari audiant

Virum olim splendidissimum

DN. HENRICUM

ab **HEFFTER,**

JCtum, in **Ober=Ullersdorff & Sommerau**

Hæreditarium, Rationum Electoralium per

Superiorem Lusatiam Præfectum, & Reip. Zittaviensis

Consulem meritissimum

WINCKLERI

alterum Patrem & Benefactorem,

omnes

Studiorum **PATRONOS, FAUTORES,**

AMICOS


decenter invitat

CHRISTIANUS Weise/ Rector.



ZITTAVIÆ,

Typis Michaelis Hartmanni.



Elebrari denuo cupit dies, quam benefico suo testamento solennem & notabilem nobis fecit DN. MELCHIOR CASPAR WINCKLERUS in Ober-Ullersdorff & Sommerau/ Hæreditarius, Studiorum olim & Studiorum Fautor postremo nunquam loco nominandus. Is enim constituta pecunia, quæ tum ad ipsum hujus voluntatis interpretem, tum ad reliquos in hoc Gymnasio docentes pertineret, expresse mandavit, ut postquam sui recordatio decenter esset præmissa, non nihil diceretur, quod esset cum gloria literarum, & imprimis cum studiosæ juventutis fructu conjunctum.

Eqvidem ubi quinta nunc vice ad hanc loquendi pietatem accingor, semper operam dedi, ne quid excideret, unde nulla discentium expectaretur utilitas. Nam 1681. cum eo tempore classibus inferioribus commendatum esset recognitum & auctum Grammatices ENCHIRIDION, hæc ipsa res merebatur, in publico Patronorum & Fautorum Confessu latius deprædicari. Anno 1684. quod WINCKLERI nomen has meditationes adjuvare videretur, præcipua rei literariæ fundamenta sub imagine LAPIDIS ANGULARIS exhibebantur. Anno 1687. placuit aliqua differere de INDUSTRIA JUVENUM PRIVATA, non quam privatis ut vocant Præceptoribus impendunt, sed quam intra musei sui parietes quisq; meditando, repetendo, legendo laudabiliter consummat. Anno 1690, quod jam effluxisset annus trigessimus, ex quo Patriæ valedicturus de Pietate Patronis audientibus dixissem, ac hinc inde variis laborare præjudiciis videretur intempestivum pietatis nomen, aliqua proferre constitueram de ERUDITA PIETATE. Nunc ubi de novo themate dispiciendum est, incidit triginta abhinc annis huic Zittaviæ, quin & universæ Lusatiæ Virum ereptum fuisse meritis & virtutibus splendidissimum DN. HENRICUM ab HEFFTER, in Ober-Ullersdorff & Sommerau Hæreditarium factum, Rationum Electoralium per Superiorem Lusatiam Præfectum, [sic enim exprimi verbis latinis memini, quod Galli *Controleur*, Germani *Gegenhändler* / quasi rationum ab ordinariis initarum spectatorem & censorem vocare consueverunt] & Reip. Zittaviensis Consulem undiqvæq; meritissimum. Hunc enim quia WINCKLERUS habuit alterum Parentem & præcipuum benefactorem, ut nisi prius hanc invenisset hæreditatis formam

rem

tem, ipse postmodum de beneficiis nostro Gymnasio decernendis cogitare non potuisset: non video, cur hoc tempore grata nostra filere pietas debeat. Cum praesertim inelyto Viro, praeter insignem dexteritatis & prudentiae gloriam, semper affulserit benignus in rem literariam favor, seu ut rectius loquar, magna provehendorum Studioforum liberalitas. Ut qui, nescio quo fato, publicum in templo consiliis & sumptibus exornato testimonium non habet, chartaceam hanc tamen & eruditae sinceritatis plenam merito recipiat memoriam.

Interim, ut multos allicere poterit argumenti pertractandi dignitas, ita ne benevolentiam hanc intercipiat orationis prolixitas, daturi sumus operam. Cur enim in exemplo tam singulari quis inhærere cupiat vulgaribus, cujus forte generis sunt *coluisse nostrum Gymnasium, postea triennium Jenensibus, biennium Witebergensibus, annum Rostochiensibus consecrasse, donec à Grypswaldensibus summi in utroque jure honoris Licentiam indipisceretur.* Hæc enim nisi constans actionum & consiliorum virtus comprobasset, vereor ut insigne laudis argumentum inde posset depromi. Quamobrem qui forte legeram in Celeberrimi Becmanni Notitia dignitatum illustrium *Dissert: 10. cap. 2. §. 4.* à Carolo II Angliæ Rege datam anno 1662. Legem, ut Barones s. Regni Proceres in pileo serico sex gererent margaritas insigniores: mirabar eequidem id eo contigisse anno, quo noster HEFFTERUS in cœlum delatus totidem gloriæ margaritis exornatus esset, ac adeo non alienum à Viri hujus meritissimi præconio fore credebam, si sex præcipuas ejusdem virtutes tanquam margaritas in terra superstites posteris adhuc affulgentes proponerem spectandas & admirandas. Etenim.

1. *Antequam ad publicas adspiraret dignitates, privatus Praxin excoluit;*
2. *Factus Senator, Prætor, Consul fidem probavit;*
3. *Vocatus ad functionem Electoralem, quantum capere posset animus demonstravit;*
4. *Pietatem vel in Templi reficiendi & restituendi cura comprobavit;*
5. *Patientiam & in conjugii orbitate, & in ultimis morborum incursionibus servavit;*
6. *Posteritati & memoria benefaciendo studuit.*

Et hujus verò generis singula sunt, ut nec ingrata credantur senioribus, qui vivam aliquando virtutem hanc conspexerunt, nec inutilia juvenibus, quorum interest renovari hominum de patria meritissimorum memoriam. Quicquid enim vel ad excolendas animi dotes, vel ad probandam honestæ villicationis fidem, vel ad declarandam

dam christiani hominis pietatem, seu ut Græci expressius loqvuntur ad offerendam aliis *φιλανθρωπίαν* a profundis virtutum & morum interpretibus proferri solet, dubium non est, quin sextuplici hac encomiorum enumeratione vel comprehensum vel potius illustratum intelligatur.

Nunc ubi ad exorandos Auditores dirigi verba debent, forte supervacaneum est consvetis uti formulis, & dubia petendi cura detere tantam argumenti præstantiam. Hanc enim sedulitatem alijs convenire crediderim, qvos in obscuriore vel levioze materia timidius occupatos, benevolentia facile destituit, nisi externis verborum blandimentis aliunde conqviverint, qvod in sua divitiarum penu nec sibi nec alijs pollicentur. Ut tamen mei causa qvid addam, ne qvis argumenti gratia & dignitate captus dicturo favorem & attentionem deneget, decenter contendo. Daturus operam ne brevitatis omnino displiceat, vel imposterum præstiti beneficii memoria prorsus elanguescat. Interim DEUS, qvi superioribus annis Curiam & Provinciam Viris inclytis reddidit instructissimam, ut ea porro felicitas semper affulgeat, pro paterna sua gratia largiatur. Efficiat Potentissimum PATRIÆ PATREM indies successibus, victorijs, laudibus majorem, ut Pietas, Justitia, Opulentia, vel qvod in Gymnasio nostro præ cæteris qværi solet, ut Pietatis & Eruditionis svavissima Conjunctio Viris & dignissimis & in consulendo promptissimis committatur: nec unqvam desint homines, qvi laudari mereantur, nunqvam Oratores, qvi laudibus qvalitercunq; satisfaciant.

Scrib. è Museo, Gymnasij Zittaviensis d. 27. Maji.
M DC XCIII.

